



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Svccinctam Doctrinarum Asceticarum Svmmam Comprehendens - Quam
ad majorem omnium in Ascési proficere cupientium utilitatem ac
subsídium

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1685

§. 10. De Iracundia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48214)

bis in corde cœlantur. 2. *Humilitate*, sed eâ mêmè, quâ sibi penitus diffidens, & sperans in DEO hoc auxilium petat, ac expectet; nam, teste S. Chryso, qui sudoribus ac laboribus suis adversus hujusmodi Adversarium pugnat, is ei similis est, qui inimicum suum papyro ligavit: qui verò continentia ac vigiliis pugnat ei similis est, qui catenis hunc devinxit. Porro is, altissima humilitate & vacuitate iracundiæ sitique pugnat, is ei comparatur, qui occidit inimicum, atque in arena occubuit, arenam verò intellige humilitatem.

3. *Maturâ resistantiâ*: nam quemadmodum miles in domum ingressus facillè totam domum occupat; ita mentis tentatio haud difficulter mentem subjugat, si semel eam occupare sinatur. Hinc S. Hieronymus scribit: Nolo, sinas cogitationem libidinis crescere; ne in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Deus parvus est hostis, interfice: Nequitia, ne Zizania crescat, in semine elidatur. Audi Psalmistam dicentem: Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad Petram. Quia impossibile est, in sensum hominis non intrare innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille perdicatur beatus, qui, ut cœperit cogitare fordita, statim interficit cogitatus, & allidit ad Petram, Petram autem Christus.

§. X.

De Iracundia.

I. Est inordinatus vindictæ appetitus, qui, si in actum prodeat, & brevi tempore duret, *Indignatio* longiori, *Ira* vocatur, de qua quinque præcipuè doctrinæ bene nôsse, & observare debet Ascera.

II. Prima est, ut, quoniam duplex est Iracundia

dia, bona scilicet & mala (uti S. David indicavit dicens: Irascimini, & nolite peccare: & clariùs S. Gregorius dicens: alia est ira, quam Impatientia excitat; alia, quam zelus format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur) bene cognoscat, quandonam bona, licitæque sit ira; cuius quidem dignoscendæ generalem regulam assignat S. Gregorius, dum ait: Cùm per zelum animus movetur, curandum summopere est, ut nec hæc eadem, quæ pro virtutis instrumento assumitur, menti Ira dominetur, nec quasi Domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata à rationis tergo nunquam recedat. Tunc autem non recedet, si vitiis hominis, non homini irascatur; nam, ut rectè dixit S. Isidorus, ira recta data est homini naturaliter, ad cohibendum vitia sua vel aliena, sine mentis perturbatione, solâ caritatis intentione, ne homo serviat peccatis. Hinc rectè aliqui colligunt, tria esse, quæ iram inordinatam efficiunt, scilicet ferri vindice animo in innocentem, & à quo non sis offensus: Velle ulcisci propriâ autoritate: & vindicare non zelo justitiæ aut caritatis, sed odio & malevolentia limitisque vindictæ excedere.

III. Secunda doctrina est, ut bene cognoscat necessitatem & praxin Iracundiæ bonæ, quam quidem breviter, sed bene indicavit S. Chrysostomus, dum dixit: Si Ira non fuerit, nec doctrina perficit, nec Judicia stant, nec crimina compescuntur. Qui cum causa non irascitur, peccat; patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solum malos, sed & bonos ad malum quodammodo invitat. Hinc Salomon ait: Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus animus corrigitur delinquentis.

IV. Tertia doctrina est, ut solidum sciat modum

dum propriam iram compescendi, quem quidem patre
 chre S. Ambrosius sequentibus verbis indicavit: O
 jice, Domine, contra tam amarissimum Iracundiae ma-
 lum, suavissimum Sapientiae tuae bonum, in quo spe-
 cialiter animarum nostrarum salus collocatur, cum tu
 bis per Evangelium dicitur: In patientiam vestram posside-
 bitis animas vestras. Quae nimirum dum arcem
 principatum in mente susceperit, omnes mox pertur-
 bationes compescit. Rixas & contumelias in exhorta-
 tionem convertit, confusum clamorem sub ordinato
 silentio premit, indignationem, tumoremque mentis
 mansuetudine vincit, blasphemias gratiarum actionem
 repellit.

V. Quarta est, ut, quoniam non modice ju-
 vat, ad Iracundiam animo penitus evellendam, si radices,
 ex quibus pullulare solet, evellantur, has ipsas
 bene cognoscere studeat. Discet autem easdem ex se-
 ne illo, qui dixit: Ira per hos quatuor actus exurgit.
 Propter cupiditatem avaritiae dandi & recipiendi, re-
 que alienas rapiendi: & si quis propriam sententiam
 amans defendit: & si quis vult, se honoribus dignum
 esse; & si quis Doctorem se esse vult, plus omnibus sa-
 pientem esse se sperans.

VI. Quinta est, ut pariter noscat modum, alie-
 nam iram pacandi, qui quidem in duobus ferè consistit.
 1. Ut consilium & exemplum Davidis quis sequatur
 dicentis: Obmutui, & humiliatus sum, & filii à bo-
 nis. Posui ori meo custodiam, cum consisteret Pecca-
 tor adversum me. Sicut enim si duae januae adversae
 in eodem cubiculo apertae sint, vehementius furit ven-
 tus; qui tamen mox quiescit, si alterutra claudatur;
 ita iratus quoque christo placabitur, si alterum cedentem
 &

& silentem adverterit. Hinc rectè S. Basilius suavit : Contumeliam intulit iratus, vince, amovèque silentio malum, & cogita periculum de te fieri, an DEO, per patientiam adhæreas, seu per iram in Adversarij partes declines. 2. Ut, si loqui quis velit, pacificè loquatur & mansuetè; nam responsio mollis frangit iram, teste Salomone, sicut pellis bovina globo ignito superjecta vim ignis frangit, Hinc S. Paulus monet, ut si esurierit Inimicus noster, cibemus illum, potum verò eidem, si sitiverit, demus; hoc enim facientes carbonem congeremus, super caput ejus. Carbones namque, ut vult D. Augustinus, significant urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo ejus miseriam subvenitur.

§. XI.

De Odio.

I. Est juxta S. Augustinum in lib. de fin. Vetus ira ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perfeverans; de quo tria præcipuè notanda sunt Ascetæ.

II. Primum est, ut bene addiscat, & distinguat, quid in Proximo sit odio habendum. Qua in re Cassiodorus faciem præfert dicens: Perfectum odium est, homines diligere, & eorum vitia semper horrere; nam in illa parte, quâ creatura DEI sunt, amandos esse non dubium est: in illa iniquitate horrendi sunt, in qua se polluerunt.

III. Alterum est, ut sciat, quomodo se defendere debeat contra activum odium, nimirum observando doctrinam ultimam priori §. datam; sic enim apprehensionem injuriæ vel offensæ, ex qua omne odium nasci-